

The Electronic Manipulus florum  
www.manipulusflorum.com

Sortilegium et diuinatio b  
cum fonte primo

Incantatores dicuntur qui artem uerbis peragunt, areoli qui circa aras ydolorum nepharias preces emittunt et funesta sacrificia offerunt.

Auruspices dicuntur horarum inspectores. Dies enim et horas in agendis negociis et operibus custodiunt,

exta pecudum inspiciunt, et ex eis futura predicunt. Augures sunt qui uolatus auium et uoces intendunt.

Dicitur enim

augurium quasi augerium quod aues gerunt.

Phitonisse a Phitonio, id est Apolline, dicte que dicunt se habere spiritum per quem possunt futura predicere.

Genesiani qui

geneses, id est natiuitates, hominum per duodecim signa caeli describunt ac per hoc mortes, actus et euentus predicere conantur.

Salitores qui

dum eis membrorum quecumque partes offenderint, aliquid inde sibi prosperum siue triste significari presumunt.

Sortilegii uero communi nomine a sorte dicuntur.

Augustinus ibidem (in libro de natura demonum) et ponuntur XXVI. questione III.: Igitur.

Incantatores dicti sunt, qui artem uerbis peragunt.

Arioli vocati, propter quod circa aras idolorum nefarias preces emittunt, et funesta sacrificia offerunt,

iisque celebritatibus daemonum responsa accipiunt.

Haruspices nuncupati, quasi horarum inspectores: dies enim et horas in agendis negotiis operibusque custodiunt,

et quid per singula tempora observare debeat homo, intendunt. Hi etiam

exta pecudum inspiciunt, et ex eis futura praedicunt. Augures sunt, qui uolatus auium et uoces intendunt,

aliaque signa rerum vel observationes improvisas hominibus occurrentes. Idem et auspices. Nam auspicia sunt quae iter facientes observant.

Dicta

sunt autem auspicia, quasi auium aspacia, et auguria, quasi auium garria, hoc est auium uoces et linguae. Item

augurium, quasi auigerium, quod aues gerunt.

Duo sunt autem genera auspicioꝝ: unum ad oculos, alterum ad aures pertinens. Ad oculos scilicet uolatus; ad aures uox auium.

Pythonissae a Pythio Apolline dictae, quod is auctor fuerit diuinandi.

Astrologi dicti, eo quod in astris auguriantur.

Genethliaci

appellati propter natalium considerationes dierum.

Geneses enim hominum per

duodecim caeli signa describunt,

siderumque cursu nascentium mores,

actus, euenta praedicare conantur,

id est, quis quale signo fuerit natus, aut quem effectum habeat vitae qui nascitur.

Isidorus Hispalensis, *Etymologiarum libri XX.*, 8, 9, 15-23 (W.M. Lindsay ed., vol.1, n.p., ll.12-28, 1-5).

Salisatores

vocati sunt, quia

dum eis membrorum quaecumque

partes salierint, aliquid sibi exinde

prosperum seu triste significare praedicunt.

Isidorus Hispalensis, *Etymologiarum libri XX.*, 8, 9, 29 (W.M. Lindsay ed., vol.1, n.p., ll.18-20).

[fons nondum inuentus]